

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. LXXXIX.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

mites; quoniam hereditate possidebunt terram Matth. 5.
 Et Prophetæ Esaias c. XXVI. 6. Pedes mitium & humiliam calcabunt eam. (NB. D. Animadvertisens eadem in Præfatione recitans loco postremorum substituit: Pedes mitium & humilium conculcabunt superbos, eum tamen ita nec in diatypisibus nec in adducto Esaiæ loco habeatur.) Ad hæc breviter respondeo (1) posse omnia non incommodè accipi de vita æternâ, quæ suo modo utiq̄ terra viventium appellari potest. (2) Totus ille Gelasii liber plane suspectus est, ipse enim Autor initio operis fatetur, se concilio huic non interfuisse, sed è vetustissimis & anonymis membranis excerpisse, unde nec ipse potuit scire, num membranæ illæ historiam Concilii exæcte & sine admixtis fragmentis exhiberent. Imo & hoc ipsum parum fidei promereri ostendunt Guilielmus Cave, & Rivetus de Scriptoribus Ecclesiasticis, notantes quod Gelasius plurima horum ex Eusebio Pamphilo, Socrate & Sozomeno aliisq; qui ante ipsum vixerunt, exscripserit, ut adeo illud de antiquis membranis saltem ab ipso fictum videatur, ad majorem autoritatem Aetis suis conciliandam. Quam ob causam etiam Doctissimi Viri, & in primis laudatus Cave, pleraque horum Actorum ex ipsius Gelasii cerebro profluxisse arbitrantur. Denique suspectum plane hunc librum reddit illud, quod haud pauca continet genuinis Historiarum Ecclesiasticarum Scriptoribus plane contraria, v. g. de pugnâ Orthodoxorum cum Arianis super divinitatem Spiritus S. &c. quorum plura annotat Præfatio libri ex Editione Romanâ, ut adeo Acta hæc Gelasii non possint adduci pro legitimo teste rerum quæ in Concilio Nicæno gestæ sunt.

LXXXIX. Nec pati porro potest D. Animadver-

vertens, quod in Programmate nonnulli ex Antiquitate dicuntur in materia de regno chiliastico exorbitasse. Verum, si hoc dicere in viō possum est, quid fieri de tot falsis dogmatibus, quae in primitivā Ecclesiā per Traditiones propagata apud excellentissimos etiam Ecclesiæ doctores obtinuerunt? Colligit horum magnam farraginem B. Chemnit. Exam. Conc. Trid. Part. I. de octavo genere Traditt. p. m. 141. seqq. ita Clemens Alexandr. l. i. Stromatum, Græcis Philosophiam idem fuisse docet, quod lex Judæis, multosque per illam salvatos censet, multis vias ad salutem esse præsupponens. Hanc doctrinam dicit esse ex mysteriis, quae non palam & universis; sed secreto & paucis tradita fuerint ab Apostolis, cum tamen D. Paulo manifeste repugnet. Egregie hoc commentum refutat ipse Tertullianus de præscript. adversus hæreticos, ex eo, quod Christus præcepit discipulis, ut, siquid in tenebris audierint, in luce & tectis prædicarent &c. Ita ex eādem Traditione Clemens l. c. accepisse vult, quod Christus uno anno tantum docuerit & prædicavit, cui contradicit Irenæus l. 2. c. 39. volens Christum circiter annum ætatis quinquagesimum fuisse crucifixum, uterque graviter in Scripturas inpingens. Porro l. 2. Strom. vult Clemens Alexandr. Apostolos post mortem etiam mortuis prædicasse; item locum etiam esse pœnitentiæ post mortem l. 4. quod commentum suprà est refutatum. Plura recenset B. Chemn. l. c. & possent etiam illis haud pauca addi, nisi Patrum mendas tegere potius, quam omnibus exponere deceperet: Soli quippe Clementis libri Stromatum talibus adeo sunt referti, ut in illis nemo orthodoxus tantum Viri ingentes lapsus suppressimere aut negare, vel etiam approbare valeat.